

05

A

1097





13
DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
PRINCIPIO ET
PRINCIPIATO,

Quam

Deo adjuvante,

P R Æ S I D E

M. MARTINO CASELIO,

Sereniss. Saxon. Elector. Alumnô, & Facul-
tat: Philosoph. Adjunctô,

JOHANNES SCHUBERTUS,

Iglâ - Moravus.

d. 10. Sept. horis à 7. matut.

In Auditorio Minori

Publicè defendere conabitur.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI

ANNO M. DC. XXXVI.


DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
PRINCIPIO ET
PRINCIPATO



M. MARTINUS
CASSELLIO
Johannes Schuberthus

Handwritten note: 1760/1

WITTSBERG
Typis Johannis Röhneri
anno M. DC. XXXV



Prooemium.

V intra certos caucellos deambulemus, nostræ
dissertationis publicæ tres faciemus partes,
quarum prima theses & explicationes necessa-
rias, secunda Canones seu Axiomata, tertia
deniq; Quæstiones seu Controversias suppeditabit. Sit er-
go divino Numine assistente

PARS PRIMA.

exhibens theses & earundem explicationes.

§. 1. Principii vox non uno modo in eruditorum scholis ac-
cipitur. Aliquando enim initium temporis denotat, quo sensu
dicimus in principio Ecclesia Novi Testamenti Imperatores gentiles
multis modis Christianos persecutos fuisse. Deinde accipitur κατ'
ἐξοχὴν pro Deo ter Opt. Max, quò referre solent illud Aristote-
lis lib. 5. de generat. Animal. cap. 2. quando ait: Hoc est principium
esse, ut ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit su-
perior causa. Tertio sumitur non raro pro principio causali
seu causa in genere. Sic v.g. in Physicis principia corporis natu-
ralis in interna, nempe materiam & formam, & externa, b.e. cau-
sam efficientem & sinem distingui solent. Quarto etiam solet accipi
pro causis internis, quo sensu Physici statuunt duo uniuscujusq; cor-
poris esse principia, materiam scilicet & formam substantialem.
Quinto specialissimè sumitur pro causa principali instrumento
contradistincta. Sic aliger ille Scaliger Exerc. 297. sect. 3. ait: Efficiens
principij nomine solum dignum est. Quare instrumentum non
erit principium, quia non movet nisi moveatur. Deniq; prin-
cipiato in genere contradistinguitur, & definitur, unde aliquid
procedit, quocunq; modo. Et hæc significatio hujus loci est.

Principij
Ambigui-
tas.

Definitio.

§. 2. Ut



Explicatio
rio.

UNDE.

§. 2. Ut autem hanc nostram aliqualem descriptionem intelligas, tria tibi observanda sunt. Scias ergo primò quòd Vox UNDE h. l. notet quamcunq; Originem & respectum unius ad alterum, secundum quem aliquid à nostro intellectu verè apprehenditur consequi ad alterum, sive fiat per verum influxum causalem, juxta quem omnis causa sui effectus principium usitatè dicitur, sive alio quocunq; modo contingat, modò Originis habitudinem ad illud, quod principium vocatur, obtineat. Sic v. g. DEUS est principium omnis creaturae, Protoplasti Posterorum, Artifex producti operis, materia & forma totius compositi, Sol Luminis, Ignis Caloris, anima visibilitatis, & quævis essentia suarum operationum, quia hæc omnia ad illa habitudinem aliquam Originis aliqualem involvunt.

ALIQUID.

§. 3. Deinde verò terminus ALIQUID in datâ definitione non ita accipi debet, quasi illud quod ab aliquo principio procedere dicitur, semper aliam, hoc est, novam & à principio diversam entitatem seu essentiam inferat, sed generalissimè hæc alienitas accipienda est, ut ad quævis, quæ ad aliud consequuntur referri possit.

PROCE-
DIT.

§. 4. Deniq; terminus Processionis h. l. non accipitur specialiter, prout vel generationi opponitur, quod discrimen aliàs Doctores Theologi ex Sacris literis observare solent in Fidei mysterijs: sed hoc termino Philosophi, cum commodior vix occurrat, quamcunq; consequentem unius ad alterum insinuare solent. Confer omninò, quæ hæc de re Reverendi atq; Excellentissimi Viri, Dn. D. Jac. Martini lib. 1. Exerc. 4. Dn. L. Job. Scharffius, Rector pro tempore Magnificus, in Theor. Trans. disp. 9. & Dn. Scheibl. lib. 1. Met. cap. 21. num. 10. & seqq. pag. 496. 497. eruditè annotarunt.

Distinctio.

I.

Principia
sunt vel
essendi, vel
fiendi, vel
cognoscen-
di.

§. 4. Distinctiones principiorum generales duæ occurrunt. Primò enim alia principia sunt, ut ita loquar, essendi, alia fiendi, alia deniq; cognoscendi.

§. 5. Atq; hæc divisio in ipso Philosopho fundata & hucusq; in Doctorum Scholis recepta est & approbata. Desumitur autem ex lib. 8. Met. cap. 1. quo Philosophorum Princeps in hæc ipsa

verba

verba definit: Omnibus principiis commune est, esse primum unde (aliquid) aut est, aut fit, aut cognoscitur: Quæ verba etiam à multis definitionis generalis loco poni solent.

§. 6. Per essendi Principia Dn. Scheib. lib. 1. Met. c. 21. num. 18. Principia p. 498. intelligit ea, unde aliquid est, hoc est, (ut ipse exponit) in- Effendi. trinsecè constat & componitur. Et sanè hæc ipsa explicatio satis commoda est, modò sic tribus illis membris quartum addatur, nempe: unde aliquid in esse conservatur. Neq; enim tantum datur causa & principium procreans, sed etiam conservans, vandi. quod dat esse porro, ut ipse Dn. Scheib. cap. 22. num. 56. & seqq. pag. 547. & seqq. rectè disputat. Sic ergò aut principium conservans sub principio essendi comprehendì debet, ut esse h. l. adæquatè rō fieri & cognoscendi opponatur, aut in data distinctione quarte principij, ut ita dicam, species, nempe principium conservandi, super addi debet.

§. 7. Principia fiendi dicuntur, à quibus aliquid fit & produ- Fiendi. citur, sive per generationem, sive per creationem, sive quocunque alio modo illi contingat. Sic Deus mundi, parentes liberorum, artifices suorum operum causa & principia vocantur.

§. 8. Principia cognoscendi dicuntur, quæ aliquem deducunt in cognitionem alterius. Sic principia cognoscendi sunt fumus scendi. ignis, latratus canis, hinnitus equi, hedera vini vendibilis, creatum creatoris, loquela hominis respectu.

§. 9. Atq; hæc rursus sunt in duplici differentia. Alia enim sunt incompleta, alia completa. Illa vocantur res simplices, Incompleta. quæ alterius notitiam gignunt, qualia exempla §. præced. adduximus. Atq; huc pertinent 1. omnes cause, quæ nos deducunt in cognitionem effectuum. 2. Omnes effectus, ex quibus à posteriori devehimur in causarum notitiam. 3. rationes inferendi à priori, quæ ob imperfectionem intelligendi à nobis per modum causarum apprehenduntur. Sic in Metaphysicis ex convenientia appetibilitas, in divinis ex Infinitate Dei ter. Opt. Max. ejus omnipotentia & omniscientia demonstratur. 4. rationes inferendi à posteriori, quomadmodum per divisibilitatem quantitas aliqujus corporis probatur.

A 3

§. 10. Prin-



Complexa

§. 10. Principia cognoscendi complexa sunt axiomata sapientum in rebus ipsis fundata, quæ aliàs regulæ & canones vocari solent: de quibus hoc notandum est, quod normæ seu mensuræ rationem habeant, quando rectè intelliguntur, & dextrè applicantur. Sicuti enim ulnâ non mensuro cerevisiam aut vinum, quod cantharo fieri debet, sed pannum aut similem materiam, cum omnis mensura homogenea, h. e. conveniens & proportionata mensurato esse debeat, ut eruditè docet Aristoteles *lib. 10. Met. cap. 1.* ita etiam Canones Philosophici nec possunt, nec debent quovis modo, & quibusvis rebus indifferenter applicari. Quod omninò observatu est dignissimum. Deprehendimus enim hæreticos & Sophistas, qui axiomatibus abutuntur ad suos errores & sophismata stabilienda, qui nudè urgent, quòd major aut minor propositio Canon sit, & axioma, adeoq; negari non possit. Quibus respondendum est, hoc vel illud Philosophi effectum tunc demum Canonis seu normæ rationem habere, si rectè intelligatur, & legitimè rebus accommodetur. Res exemplo declarata erit facilior. Canon Physicus est: *Ex nihilo nihil fit.* Quod si jam aliquis ex eo creationis mysterium, in sacris literis manifestatum, in dubium vocare velit, & urgeat, hanc propositionem esse Canonem, occurrendum est sophistæ, datam sententiam esse quidem Canonem, sed Physicum, adeoq; de rebus Physicis & viâ naturali intelligendum, hoc modo & sensu: *Ex nihilo negativo nihil fit naturaliter:* quo declarato nihil contra orthodoxam fidem facit. Idem iudicium de cæteris honorariis Philosophorum sententiis esto. Quod si in praxi observetur, feliciter cum Photinianis, Calvinianis, Pontificiis & aliis sectariis congregari possumus, quando Axiomata Philosophica pervertunt & in falso sensu malè applicant.

Singularum scientiarum propria. Communia.

§. 11. Possunt verò hæc principia complexa quadrifariam dividi. Nam primò quædam sunt singularum scientiarum propria, alia verò communia, quæ pluribus disciplinis subordinatis applicari queunt. Sic v. g. principia Physicæ propria sunt: *Virgo non parit: Omne materiatum est quantum.* Contra principia communia sunt: *Nemo est ladendus, suam cuiq; tribuendum, honestè*

honestè est vivendum. Hæc enim in Ethicis, Politicis & Oeconomicis locum habent, adeoq; in statu privato, civili & domestico applicari & possunt & debent. Atq; hanc divisionem principiorum ipse Philosophorum Dux lib. 1. post. anal. cap. 7. tradit.

§. 12. Deinde principia quædam universalis sunt, quæ occurrunt in disciplinis universalibus, Logicâ scilicet & Metaphysicâ; & hæc in omnibus disciplinis particularibus applicari possunt, ut transitus de genere in genus non fiat, quem Aristoteles in Logicis prohibet; Sic v. g. principia universalis sunt: *Impossibile est duas contradictorias esse simul veras aut falsas. Ex minore negativo nihil sequitur in primâ & tertiâ figurâ. Ex puris particularibus nihil sequitur. Totum est majus qualibet sua parte. Qualis causa talis effectus*: quæ principia in Physicis, Mathematicis, Ethicis, Politicis, & Oeconomicis, aliisq; disciplinis, artibus & facultatibus accommodari queunt: Alia verò sunt particularia quæ occurrunt in disciplinis particularibus de objecto determinato & particulari agentibus, ut Principia Physica & Mathematica.

Universalis

Particularis

§. 13. Tertio principia etiam in prima & secunda distinguuntur. Prima salutantur, quorum veritas tam manifesta est, ut a nemine sanæ mentis serio in dubium vocentur, modò terminos artis intellexerit, qualia sunt: *Quodlibet est vel non est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Parentes sunt honorandi: Deus est colendus: si equalibus subtraxeris equalia, residua erunt equalia* & quæ his similia passim in disciplinis occurrunt. Secunda vocantur, quæ ex primis pendent & in iis fundantur, quorumque veritas ex se infallibiliter cognita non est, ut: *Omne Corpus est mobile, omnis homo est docilis.*

Prima

§. 14. Quarto principia quædam speculativa sunt seu theoretica, quæ in disciplinis Theoreticis, v. g. in Physicis, Metaphysicis & Pneumaticis, occurrunt: quædam practica, quæ in disciplinis practicis, quales sunt Ethica, Politica & Oeconomica, inveniuntur, quorum exempla ex antea dictis facilè à quovis applicari possunt.

Speculativa

Practica

§. 15. Atq;

521
Distinctio
II.

§. 15. Atq; hæc de prima principiorum divisione generali dicta sunt: nunc de altera eodem methodo nobis breviter dicendum est. Secundò ergò alii Doctores adæquatè etiam principia distinguunt in principia essendi & cognoscendi. Et tunc ad ESSE non opponitur rō FIERI, aut CONSERVARI: sed principium essendi in genere dicitur, quod dat esse alteri sive fiat per generationem, sive creationem, sive alio modo, item sive det esse primum, ut causa procreans, sive continuatum, ut res porrò sit & existat, ut causa conservans. Sic v. g. Sol est Principium luminis procreans & conservans. Ita Parentes sunt principia essendi liberorum procreantia, nutrimenta conservantia: Deus omnium rerum & procreans & conservans principium vocatur.

Causale.

§. 16. Atq; hoc vel causale est, quod dat esse alteri enti per verum influxum causalem, quod in internum & externum dispesci solet.

Internum.

Illud vocatur, quod dat esse alteri ita, ut ejus essentiam ingrediatur & per modum partis constituat, ut corpus organicum & anima rationalis in homine, materia & forma in quolibet com-

Externum

posito naturali. Hoc, quod quidem, dat esse alteri, sed tamen ejus essentiam non ingreditur, ut causa efficiens.

Non-Causale.

§. 17. Principium non-causale vocamus, à quo aliquid est citra verum & causalem influxum, quo sensu quantitas divisibilitatis principium esse dicitur.

Conditiones Spuria

§. 18. Conditiones principiorum alix Spuria sunt, alix genuinae. Spurias voco, quæ non omni conveniunt principio, ut, quòd principium debeat esse realiter aut etiam essentialiter à principio distinctum, quòd per verum influxum causalem debeat aliquid producere, quòd sit prius tempore &c. quarum conditionum vanitas & falsitas ex dictis cuiusvis facile liquet.

Genuinae.

Genuinae conditiones sunt 1. quod involvat habitudinem seu respectum ad aliquid cujus principium esse dicitur. 2. quòd aliqua connectio seu consecutio esse debeat inter illud, quòd principium & alterum, quòd principiatum nominatur. 3. prioritas, quæ postea in particulari pro varietate principiorum variat. Aliud enim est prius tempore seu duratione, quòd aliquid in duratione antecedit; Sic Deus est prior mundo, Adam Evà, artifex opere à se producto;

Prius.

Tempore.

ducto;

ducto; aliud naturā, quod habet essentiam priorem, ut ab eō non Naturā
valeat ad alterum existendi consequentia, quo sensu omnis causa
effectu suo prior esse dicitur: aliud cognitione, quod est notius, Cognitio-
adeoq; in alterius notitiam aliquam deducere potest: aliud Or- ne.
dine & enumeratione, quod ab aliquo uno determinato propor- Ordine.
tionaliter distat: aliud dignitate, quod est nobilius & excellen- Dignitate.
tius: aliud Loco, cujus locus antegreditur alterius locum: aliud Loco.
secundum nostrum concipiendi modum, quod saltem ob imper- juxta mo-
fectionem nostri intellectus, ut prius, apprehenditur. Vid. ipse dum, con-
Philosophus lib. 8. Met. cap. 1. 12. cipiendi.
§. 19. Deniq; Principio contradistinguitur principiatum, Princi-
quod ab aliquo procedit quocunq; modo, cujus exempla ex dictis pium.
peti possunt.

PARS SECUNDA.

Proponens CANONES.

VI.

Omni- bus principiis commune est esse primum. Desumitur ex
lib. 8. Met. cap. 1. Et videtur esse falsum. Nam supra principia
cognoscendi complexa in prima & secunda dividimus. Quod
verò attinet principia essendi, soli Deo convenit esse primum.
Sed salva res est. Nam in dato Canone non intelligitur priori-
tas absoluta, aut etiam determinatè prioritas temporis: sed sen-
sus Canonis est: *Omni- bus principiis commune est esse primum, vel*
simpliciter & absolutè vel secundum quid & comparatè: si non
tempore, saltem natura, Ordine vel alio prioritatis genere: si non se-
cundum rem, saltem juxta nostrum concipiendi modum. Et sic da-
tis instantiis facile occurri potest.

II.

Principiorum non datur scientia. lib. 2. post. cap. 12. Et hic
Canon dubius esse videtur. Nam 1. si principiorum non datur
scientia cur in Metaphysica, quæ utiq; scientia est, cum sapientia
sit, ut alibi docetur, de principiis agitur? 2. Deus est principium
omnium rerum, & tamen ejus aliqualis datur scientia. 3. Prin-
cipia nos deducunt in cognitionem aliorum. Utiq; ergo eadem

B

non

non ignoramus, sed scimus, & evidenter cognoscimus. Sed nec hæc Canonis veritatem avertunt. Nam 1. distingvendum est inter principia considerata in actu signato & exercito. 2. inter Principia essendi & cognoscendi complexa. 3. Vox scientiæ hoc loco non sumitur pro quavis notitia, sed pro eaque demonstratione acquiritur. Hisce præmissis Sensem Canonis complete ita proponimus.

Principia cognoscendi complexa in actu exercito spectata & quæ talia scientiæ propria non sunt. Et ratio desumitur ex lib. 6. Nic. cap. 5. ubi Aristoteles scientiam conclusionum demonstrabilium esse asserit. Atque ex his etiam ad instantias responsio peti potest.

III.

Principia vera & prima ea sunt, quæ non ab aliis, sed à seipsis fidem habent. lib. 1. Top. cap. 2.

IV.

Necesse est credibilia esse principia aut omnia, aut quadam ipsa conclusione. lib. 1. post. c. 3.

Ratio est in promptu, quia aliàs nihil demonstrabunt, sed otiosa & nugatoria committetur principij petitio, quam Aristoteles in Elenchis Sophisticis prohibet.

V.

In principiis non datur progressus in infinitum. Valet tum de principiis cognoscendi, tum essendi, quamvis Aristoteles lib. 1. Phys. cap. 5. ex quo loco Canon desumptus videtur, de principiis essendi corporis naturalis ex professo disputet.

VI.

Pendens ab alio primum esse nequit. Hic Canon primo li-tem intendere videtur: sed facile componi potest. Sensus enim est, quod ab alio dependens simpliciter & absolute primum esse nequeat: atque sic illius veritati nihil derogat.

VII.

Contra negantem principia non est disputandum. Valet hic Canon 1. de principiis cognoscendi complexis primis & certiffimis,

14
mis, vel etiam antea concessis. Qui enim hæc serio negat ra-
tione carere videtur, cum quo frustra & absq; omni utilitate dis-
sertationem institues. 2. nisi periculum seductionis adsit. Nam
si hoc extimescendum, etiam stulto ad stultitiam suam respon-
dendum est, ne sibi sapiens esse videatur, ut Regum sapientissi-
mus *Prov: 26. 5.* monet.

VIII.

*Omne principium distinguitur ab eo cuius principium esse di-
citur.*

Scilicet vel realiter, vel modaliter, vel ratione & secundum
nostrum concipiendi modum.

IX.

Principiorum non datur demonstratio.

Scilicet quatenus principia sunt. Quod si autem ab aliquo vel
negentur vel serio in dubium vocentur, demonstrari aut probari
possunt 1. à posteriori. 2. per inductionem. 3. per priora supe-
rioris alicujus disciplinæ, si datur, infallibilia principia. 4. per
deductionem ad impossibile seu absurdum; Et 5. per declaratio-
nem terminorum.

PARS TERTIA.

declarans Controversias.

Quæritur ergo I. *Ad quam disciplinam pertineat agere de
principiis?*

Resp. Distingvendo. Principia in actu exercito specta-
ta ad varias disciplinas pertinent. Sic Physicus de princi-
piis corporum naturalium disputat: In actu autem signato
tantum hæc tractatio ad Metaphysicam spectat, hoc est, solius
Metaphysicæ est explicare doctrinam de principio in genere,
definire quid sit principium & principiatum, distingvere ea-
dem & alia explicationem promerentia adducere, cum hi
termini sint communissimi & omne ens vel principium sit vel
principiatum.

Quæstio

Quaestio II.

Quomodo distinguantur causa & principium? Resp. Ut latius & strictius. Nam omnis quidem causa est principium, sed non contra, cum etiam dentur principia cognoscendi à posteriori, itemque complexa, nec non principia essendi, unde aliquid citra influxum causalem procedit, ut ex supra dictis manifestum est.

Quaestio III.

An privatio possit esse principium alicujus entis? Si intelligatur de principio essendi & privatione propriè ita dicta, salva omnium Authoritate & existimatione negamus, quia non-ens non potest producere ens reale. Jam verò privatio propriè ita dicta est non-ens. Ergo.

Quaestio IV.

Cnr mutatis principiis mutantur principia? Resp. Quia hæc ab illis in essendo vel cognoscendo procedunt. Valet autem de principiis essendi internis & principiis cognoscendi in genere. Sed nunc pedem figimus, soli

DEO sit gloria in infinita se-
cula!

Ad Doctis. Dn. Respondentem.

EN Muse vobis qui dignus amoris, alumnum!
Ingenij en rarum nobilioris opus,
Hec de PRINCIPIO meletemata! Splendida portat
Præmia Mavortis Marte volente cohors.
Pingvia fert ruris domitor fert, florida nauta:
Musarum cultor non-moritura feret.

scrib. gr.

PRÆSES.

05 A 1097

ULB Halle 3
003 765 288



1097





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13



13
METAPHYSICA
DE
IPIO ET
IPIATO,
QUAM
adjuvante,
S I D E
O CASELIO,
Rector. Alumnô, & Facul-
ph. Adjunctô,
SCHUBERTUS,
Moravus.
oris à 7. matut.
orio Minori
adere conabitur.
BERGÆ
NIS RÖHNERI
DC. XXXVI.